



**In Hoc Libello Pontificii Ora||toris continetur legatio, in
co[n]uentu Noremburgensi,|| Anno. M. D. xxij. inchoato,
sequenti vero finito ex-||posita, vna cum instructione ab
eodem legato|| ...**

Hadrian <VI., Papst>

Noremburgæ, 1523

VD16 K 320

12 De Papalibvs Delegatis Ac Commissariis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65406)

Imperij Principes, Proceres, ac Status, Sedi Apostolicæ supplicat, vt grauamina atq; onera hæc radicitus, funditusq; tollantur & abrogentur.

DE PAPALIBVS DELEGATIS AC COMMISSARIIS.

Item fan. Pontificia ad Ecclesiasticarum personarum petitionem, iudices delegatos & commissarios, tanq; ecclesiasticos iudices per Germaniam concedere solet, vt impetrantes dehinc laicos, cuiuscunq; etiam dignitatis, vt præminentia, coram ita delegatis, in causis prophanis, iudicio conuenire possint. Quod vt de facto sæpenumero præsumunt, ita excommunicationis pœna mandatam sibi inter partes iurisdictionem defendere conantur. Quæ omnia & in perniciem personarum secularium, & in iurisdictionis Germanicæ ac ordinariæ iacturam vergunt, & attenuationem.

QVO PACTO ECCLESIAE PRAELATI

per sedē Apostolicā, ex Episcoporum ordinariā iurisdictione, ac cæterorum suorum defensorum tutela eximantur.

INSUPER & hoc moliuntur summi Pōtificates, monasteria aliquot eximendo, vt ab Episcoporum, eorum, s. ordinarijs, ac defensorum, protectorumq; aliorū iurisdictione ita exempti, reddantur immunes, immediateq; subiaceant sedi apostolicæ, quæ res non tantum prædictis ipsorum ordinarijs ac defensoribus, sed & toti Romano Imperio cedit in iacturā, tum quando collatio pecuniaria pro Imperij necessitate, viritim Imperij Statibus indicitur. Ita enim fit, vt ipsi per se ab oneribus publicis exempti, immunitate sua gaudeant. Dehinc etiam auxiliares manus Episcopis ac defensoribus suis; quod ante hac facere necessum habebant, non porrigant, per quam technam Ro. Imperij attenuantur nerui, ac decrescunt plus iusto vires. Quapropter & hic imperij proceres, ac Status rogant, præfata onera exemptionum abroganda.

B.